



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo

Marca, Pierre de

Parisiis, 1669

XIV. Itaque apertè illis comminatus est abstentionem, si causam illam iterum ad discutiendum in medium adducerent. Valuit itaque Perigenis ordinatio, ut docent epistolæ Sixti III.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15617

fali & quidam Illyriciani Episcopi tentabant, provinciarum illarum divisio à patriarchatu Occidentis & à communione & potestate Romani Pontificis, quarum cura istum levare procurabant, ut amplificandæ auctoritatis alterius se esse studiosos hoc facinore ostenderent. *Audio Episcoporum quosdam, inquit Bonifacius in epistola ad Thessalos, apostolico jure contempto novum quippiam contra Christi propriè præcepta tentare, cum se ab apostolica sedis communione & ut ita dicam verius, potestate separare nituntur, eorum petentes auxilium quos ecclesiasticarum sanctio regularum majoris esse non dedit potestatis. Leguntur enim præcepta majorum, & quibus in Ecclesias juris aliquid dederint invenimus. Iam temeratores est ecclesiasticæ discipline quisquis in ejus leges, cum sibi nihil debeatur, invēpit ea sibi vindicando quæ sibi à patribus negata videantur. Tum in epistola ad Episcopos per Illyricos constitutos aperit quanam fuerit illa præsumptio, nimirum prohibere ne causæ ecclesiasticæ provinciarum Illyrici orientalis deferrentur ad sedem apostolicam, adeoque ex ista præsumptione effectum ut eas auderent retractare quæ supremo sedis apostolicæ judicio definitæ fuerant. Quod ait esse contrarium moribus antiquis. Nam & illustrissimas Orientis Ecclesias, Alexandrinam nempe & Antiochenam, in magnis negotiis consuluisse semper sedem Romanam, ejusque auxilium postulasse quoties occasiones inciderunt ingentium periculorum. Quanto magis istam consuetudinem servandam esse à minorum urbium Episcopis, & ab Illyricianis potissimum, qui ab omni retro antiquitate usque ad hæc novissima tempora paruerant constitutis apostolicæ sedis. Nemo unquam, inquit, apostolico culmini, de cujus judicio non licet retractari, manus obvias audacter intulit, nemo in hoc rebellis extitit, nisi qui de se voluit judicari. Servant Ecclesia magne prædictæ per canones dignitates, Alexandrina & Antiochena, habentes ecclesiastici juris notitiam. Servant inquam statuta majorum, in omnibus deferentes, & ejus vicissitudinem recipientes gratia quam se in Domino, qui pax nostra est, nobis debere cognoscunt. Sed quia res postulat, approbandum documentis est maximas Orientalium Ecclesias in magnis negotiis, in quibus opus esset disceptatione majore, sedem semper consuluisse Romanam, & quotiens usus exegit, ejus auxilium postulasse. Descendit deinde ad exempla sanctorum Athanasij & Petri Alexandrinorum antistitum, tum Meletij & Flaviani Antiochiæ, & ad ipsius Nectarij Constantinopolitani ordinationem. Addit verò sub Innocentio Pontificis orientalium Ecclesiarum dolentes se à beati Petri communione sejunctos, per Le-*

gatos pacem poposcisse, eamque illis à sede apostolica indultam fuisse.

XIII. Angebat vehementer Bonifacium causa Perigenis, caritate sanè erga hominem sedi apostolicæ addictissimum, sed præcipuè propter convulsam ab Episcopis Illyricis Romani judicij definitionem, qui post illud eam causam rursus judicare moliebantur in Concilio Corinthiaco. Nam dupliciter in hoc peccabatur adversus sedis apostolicæ majestatem, Primò, quòd eam causam retractare præsumerent quæ supremo Romani Pontificis arbitrio judicata fuerat. Deinde, quòd eam synodum celebrare cogitarent præter conscientiam, id est, consensum, Ruffi Episcopi Thessalonicensis, qui Vicarius erat Romanæ sedis per omnes Illyrici provincias. Hæc duo capita complexus est Bonifacius in epistola ad Rufum: *Ad synodum quæ dicitur illicitè congreganda de causa fratris nostri & cœpiscopi Perigenis, cujus scripsimus statum nulla posse penitus ratione turbari, talia scripta direximus quibus universi fratres intelligant primò convenire se citra tuam conscientiam minimè debuisse, deinde de nostro non esse judicio retractandum. Nunquam etenim licuit de eo rursus quod semel statutum est ab apostolica sede tractari.*

XIV. Adeo autem altè infederat hic dolor animo Bonifacij, ut ad Episcopos Illyrios, qui ad synodum Corinthiacam conventuri erant, scribens apertè comminatus abstentionem sit, si Perigenis causam iterum ad discutiendum in medium adducerent, cujus honor dubius & incertus per regulas omnino esse non posset post sententiam Romani Pontificis. *Congregatur ergo, inquit, ut redeamus ad causam hujus injuriæ, synodus, cujus dilecto consultum semper superhabens Concilij recognoscat arcanum; & fiet, quod quidem fieri per regulas omnino non poterit, fratris & cœpiscopi nostri Perigenis honor dubius & incertus, quem in sede Ecclesiæ supradictæ nostra sententia conlocavit. Et infra: Convenientes ut concedet fratres, ne quis volens in nostra communione durare, fratris & sacerdotis nostri Perigenis iterum ad discutiendum in medium nomen adducat, cujus sacerdotium Apostolus Petrus semel jam Spiritus sancti suggestionem firmavit. Valuit porro, ut illud etiam dicamus, apostolicæ sedis auctoritas circa Perigenem, ut in epistola ad ipsum data docet Sixtus III. eum redarguens quòd Thessalonicensi Ecclesiæ refulsaret, cujus commendatione & apostolicæ sedis beneficio sedem suam retinuerat adversus æmulos. Gratulari potius, inquit, quam conquiri deberemus de tua fraternitatis actibus, cum tibi apostolicæ sedis auctoritas in ipsis tui ordinationis initiis, quod te semper meminisse*

Bonif. I. apud
Hollten, pag. 70.

Apud Hollten.
pag. 62.

Ibid. pag. 74-79.

Apud Hollten.
pag. 83.

Apud Hollten.
pag. 62.

Apud Hollten.
pag. 62.

Apud Hollten.
pag. 62.

Apud Hollten.
pag. 62.

oportet, adfuerit. Et in fine epistolæ: *Tua enim magis interest ut huic plurimum deferatur Ecclesia que tibi tantum honoris contulit ut pro te contra eos qui tibi tunc æmuli fuerant repugnaret.* Idem in epistola ad Episcopos in synodo apud Theſſalonicam congregandos: *Noverit Corinthii, Episcopus sibi licentiam potestatis libere minime tribuendam, si huic voluerit Ecclesia resistere quam sibi noverit profuisse; cui necesse est nos quoque, si quid tentare voluerit, obviare, qui præteritorum que illi per nos præstita sunt memores sumus, & illicitis semper usurpationibus obviamus.*

Ibid. pag. 92.

XV. Sufficerent ista quidem ad probandum Perigenis ordinationem in Ecclesia Corinthiensi convaluisse auctoritate Romani Pontificis. Sed tamen adhuc adferamus testimonium Socratis, qui de Perigenis ordinatione ita scribit: *Perigenes Ecclesie Patrensis designatus fuit Episcopus: quem, ubi populus illius urbis eum repudiaverat, Episcopus Romanus mandavit ut Episcopo Corinthi metropolis jam mortuo, in sede episcopali illius urbis collocaretur. Cui Ecclesie relicto vite spatio præfuit.* Testatur istud ipsum & Ivo Carnotensis in præfatione Decreti, Socrate, ut opinor, auctore usus. *Perigenes, inquit, in Petris est ordinatus Episcopus. Sed quoniam civis ejus civitatis eum suscipere noluerunt, Romana civitatis Episcopus justit eum in throno Mari in Corintho metropoli, defuncto ejus Episcopo; ei que, donec advixit, Ecclesie præfuit.* Extat sanè epistola Celestini Papæ ad Perigenem & ad alios quosdam partium illarum Episcopos, in qua ille primo loco nominatur. Præterea, cassata, uti supra diximus, constitutione Theodosij quæ relationem causarum dubiarum Illyrici ad Constantinopolitanum Episcopum fieri præcipiebat, nullum subreptiones Illyricianorum Episcoporum habuerunt effectum, adeoque conatus eorum adversus Perigenem debuit simul esse vanus & irritus.

Socrat. lib. 7. cap. 35.

Vide supra in Ad. dit. ad cap. 2. lib. 4.

Vide supra §. 4. hujus capituli.

XVI. Displicebat itaque Bonifacio Episcoporum Illyricianorum audentia, qui Concilia congregare præsumebant citra conscientiam Rufi. Nam Innocentius primus, cupiens Vicario suo Rufo aliquam insignem prærogativam dare, ei ex apostolica sedis favore concefferat ut quoties causa aliqua eveniret quæ congregationem sacerdotum requireret, posset quos vellet Episcopos de quibuscunque Ecclesiis evocare, & cum eis controversias definire. Hæc tantum Innocentius. Sed quoniam non satis ad gloriam viri de sede apostolica bene meriti id esse arbitratus est Bonifacius, constituit ne liceret Episcopis Illyricianis convenire, id est, Concilia celebrare, citra conscientiam ejusdem Rufi. Vnde cum inaudivisset Episcopos illos synodum indixisse apud Corinthum pro retractanda causa Perigenis, commotus & exagitatus, ut ipse ait, propterea fuit, synodumque non aliter celebrari mandavit quam ex auctoritate Rufi, electionem verò judicium à Rufo faciendam esse. Sanè quoniam servandus accusatori locus est, inquit, ne audentiam penitus incitare videamur, si quid ab eodem, postquam Episcopus nostris est auctoritatibus constitutus, contra disciplinam & propositum sacerdotij fertur admissum, coepiscopus noster Rufus, cui ad vicem nostram cuncta committimus, cum ceteris fratribus quos ipse delegerit, negotium curabit audire, ad nostram relaturus omnia notionem quæcunque cognitioni ejus rerum curfus & ordo monstravit.

XVII. Postremum caput responſorum Bonifacij ad consulta Rufi respiciebat, ut diximus, personam ipsius Rufi, quatenus Romani Pontificis vices obtinebat, & jus ordinandorum Episcoporum per Illyricum. Istud colligitur ex epistola ejusdem Bonifacij ad Episcopos Illyricianos; in qua ait honorandum esse Rufum propter apostolicam vicem, & ordinationes Episcoporum citra ejus conscientiam celebrari non posse. Illud etiam, quoniam auctoritas nostra commotione solita vacare non debet, hortamur, & repetito sapienter sermone præcipimus, ut in omnibus huic viro obedientiam dispositionibus commodetis. Nullus, ut frequenter diximus, alicujus ordinationem citra ejus conscientiam celebrare presumat, cui, ut supra dictum est, vice nostra cuncta committimus. Item in epistola ad Episcopos Theſſalæ: *Episcopos per Illyricum citra conscientiam coepiscopi nostri Rufi nullus ordinare presumat.*

Ibid. lib. 7. cap. 72.

Ibid. pag. 93.

Ibid. pag. 94.

CAPVT XXV.

Synopsis.

I. Rufus Theſſalonicensis Episcopus à Celestino quoque ornatus est Vicariatu sedis apostolicæ. Probatur auctoritate Nicolai I. & ex ipso Celestino.

II. Referuntur ejus verba, qua sunt magni momenti, & aperiùs explicant Vicarij Theſſalonicensis auctoritatem quàm superiorum Pontificum epistola.

III. Declarat causas qua non sine Rufi auctoritate & consensu agi poterant, nimirum ordinationes Episcoporum, celebrationes Conciliorum, & majorum causarum relationes ad sedem apostolicam.

IV. Moruo Rufo, Anastasius ei in cathedra & in Vicariatu successit. Concilium indictum apud Theſſalonicam. Mandata Anastasio data à Sixto III.

V. Referuntur alius Sixti locus, ex quo perperam colligit Holstenius Vicariatum Theſſalonicensem non sedis sed persone privilegium fuisse.

VI. Disputatur an Romani Pontifices sic vices suas alicuiquam Episcopo tribuere potuerint ut eas auferrent Theſſalonicensi; & probatur istud non licuisse, variis argumentis.